



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam  
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem  
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum  
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de  
Lugduni, M.DC.LXXX.**

11. Reliqua siue à siue contra rationem opposita abiguntur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

Imo, etsi duo causam alicuius adaequant, ac prioritatem naturae respectu illius adaequant constituant, ac proinde totum illud prius spectent; nullum tamen ad partiale prius proprium concausae alterius spectat, cum causa materialis ad formalem, aut efficientem, aut finalem ex eo, quod cum illis causet, non transeat: neque ex efficientibus actiua physica in moralem, & meritariam, & motiuam: neque instrumentalem in principalem, aut finalis impulsua in principalem, ac non impulsuam solum: oporteret autem aliud aliis causae in alterius genus transire, ut ad illud ipsum prius alterius concausae expectaret.

9. Quod si intra idem naturae, & causalitatis genus prioris, diuersum cuique causarum inadaequantur, etiam eiusdem generis, proprium designandum est: neque altera causa in alterius concausae priori proprio est constitutenda, licet ex omnibus adaequatum prius causale, & naturae integretur: longe minus ad aliud prius quod, naturae, & causalitatis in alia ex concausis in concausam aliam transire, in eoque ipso collocari debet: id quod, apertius adhuc, conuincitur: ecce ad mei absolutam productionem plures causae absolute existentes natura, & causalitate praecedunt, Materia, dispositiones, feminilis virtus, pater, mater, ac in primis mea possibilitas, sine qua nullam, nunquamque Dei decretum vllum de mea productione à Deo conciperetur, quod cum vtrique necessario natura praecedat: an è consortio horum omnium in mei causatione, & naturae prioritate stupidi aliquis dicat reliqua omnia, quae cum mea possibilitate mei causationem praecedunt, eandem cum illa prioritatem maioris vniuersalitatis, cum respectu mei, tum decreti diuini (& reliquorum aliorum) quam mea possibilitas habet, habere debere? atque ea omnia ad illud prius signum maioris vniuersalitatis possibilitatis meae spectare? applica lector aperta haec propositionibus, & consequentiis argumenti huius, & similium, quae in aliis materiis occurrerint: & videbis nihil in eis assumi, quod negari absolute, vel distingui, vel permitti non possit sine praedictio negandi libere consequentiam. Denique distingue. Prima consequentia de omni Dei decreto actuali, ut summum, probari, inferrique possit, de quo est antecedens: non autem de omni Dei decreto in hypothesi etiam vnde subsumptum statim antecedens intellectum de omni eo, quod antecedat, atque est prius natura omni Dei decreto actuali solum est falsa esse in statu solius possibilitatis: siquidem quod decreto actuali Dei prius esset, si tamen decreto Dei in hypothesi posito sit posterius, conditionate futurus erit, nec in statu solum praeciusus possibilitatis, quae nullum Dei decretum, adhuc in hypothesi supponit, quare nihil est in eo argumento firmum.

## CERTAMEN XI.

*Reliqua siue à, siue contra rationem opposita abiguntur.*

1. **C**ertum iam, & breuius reliqua diluenda, ne longius quam par est, obiectionum momentum exposit, quaestio haec euadat. Opponit tertio Ioann. à S. Thom. ea futuritio à Deo decernente, siue à decreto Dei, saltem in hypothesi, esse debet per nos, quia est ab illo, saltem conditionate, causandum: ergo debet Deus cognoscere eiusmodi decretum in hypothesi, & pro conditione ad futuritionem conditionatam contingentis: atqui illud nequit ita cognoscere, nisi habeat actu voluntatem complacentiam de illo decreto: ergo haec praecedat, & futuritionem, & scientiam conditionatam contingentis: sed quid haec ad necessitatem decreti de futuritione conditionata contingentis, ut ipsa eiusque scientia suo modo consistat? nam complacentia nihil agit, sed actum supponit. Secundo: nego ad cognitionem decreti in hypothesi, huiusque pro conditione positionem suspensam mentalem, & cognitionem his vocibus explicatam, si decretum concerneret, & vocatum opus esse Deum de illo

decreto (quod, ut dixi nec determinatum nec determinans ad consensum est) sibi complacere amplius, quam de eius possibilitate, ex qua complacentia, nec futuritio illius, nec consensum adhuc conditionata ponitur, aut inferitur, neque eius scientia, sed à determinatione libera creatae voluntatis: inquit, Deus potest salua libertate disponere, ut foret potius oppositum, & negatio consensum sub conditione futura: ergo vtrumque pendet ab actuali Dei decreto. Nego antecedens, salua libertate, & conditione eadem: si enim Deus independentem omnino ab usu libertatis nostrae, & suo usu scientiae mediae decernat, si detur talis vocatio consentiat, vel non consentiat (quod facere absolute potest, licet ad futuritionem conditionatam opus non sit, ut faciat) non poterit non conditionate consentire voluntas sub conditione, sub qua consentura conditionate est, & non consentire conditionate sub conditione, sub qua conditionate non erat consentura: ex suppositione enim futuritionis, siue conditionatae, siue absolute consensum, aut negationis eius ab arbitrio, neque eius contradictorium, neque à Deo, neque ab arbitrio nostro poni: Si autem decreto illo de futuritione conditionata negationis consensum sub vocatione, sub qua alias consentiret de se, voluntas à Deo praeueniatur; iam libertas aboleretur; nec eadem esset conditio, sub qua non esset consentura: siquidem ex parte hypothesi, seu conditionis non sola vocatio, sed decretum illud esset, cuius negationem dicit conditio indifferens ad vtrumque vocationis illius, sub qua libere de se voluntas consentiret conditionate.

2. Arguit tertio pluribus implexis, spiriosis, indigestis, atque ab ipso etiam imperceptibilibus pag. 610. quae ad hanc claram equiuocationem, si quo tandem, cum: veritas conditionata consensum, in nostra sententia, est; quod, si vocetur voluntas, Deusque decernat, seu offerat suum concursum indifferenter, voluntas consentiat: ergo determinatio voluntatis supponitur ad illud decretum: ergo, licet sine illo non sit, tamen ea determinatio independentes ab illo est, & totaliter à voluntate. Primam consequentiam probat, quia decretum illud regulandum ad illudque dirigendum Deus est per scientiam conditionatam, ad quam consensus conditionatus supponitur: quare, & ad decretum ipsa regulatum, & posterius. Distinguo primum illud consequens. Supponitur ad decretum illud, prout in hypothesi, & pro conditione, ac suspense positum, nego: quin potius illud subsequitur, ut pote conditionem necessariam, à qua, sic posita necessario, & essentialiter conditionate consensus voluntatis pendet, atque atque vocatione, quae alia conditio, & pars hypothesi illius est, sub qua voluntas se determinabit, & consentiet. Supponitur ad decretum illud in statu absoluto apponendum, si apponendum sit, concedo: sicut supponitur ad decretum aliud absolutum collatum vocationis, sub quo etiam consensus, & determinatio voluntatis absolute erit: quia ad vtrumque decretum, & vocationem absolute ordine saltem praedestinationis, & perfecte prouido ex intentione consensus, & salutis praedestinati apponendum scientia conditionata dirigitur Deus, quae ipsa futuritione conditionata est posterior: quod solum prime eius consequentiae probatio suadet; non autem scientia conditionata dirigi Deum, inuatiue, ut decretum concurrenti in hypothesi, atque suspense pro conditione ponat, aut cognoscat: huius, neque, ut in ea etiam hypothesi cognoscat, seu ponat vocationem scientia conditionata opus habet; imo nec potest inuari: cum haec posterioris obiecti ad hypothesin totam positam suspense, siue suppositam, sit: solum ergo scientia simplicis intelligentiae, vel formaliter, vel praesuppositiue tota illa hypothesi eiusque partes, scilicet decretum, & vocatio cognoscat à Deo possunt: quatenus hypotheses illae possibilitibus conditionibus constare debent, cum nequeat status vllus non fictus, & chimericus, sed verus (qualis est status conditionatus) principium, & causam seu conditionem sui habere impossibilem, sed possibilem. Determinatio autem conditionata voluntatis nullatenus est prior decreto in hypothesi, imo neque magis potest esse illa prior, quam effectus sua causa pro statu, in quo causa eius est, prior esse queat

quod si hæc repugnantia aperta à Deo, nobis atque Ioan. à S. Tho. emolitur: nihil ea sua consequentia admittit probare. Admittit enim decretum esse necessarium concensum cum voluntate consensus in omni, & pro omni statu, & tamen hunc posse in aliquo statu decreto Dei priorem. Ergo male in tua hæc doctrina inferis, ex eo, quod futuritio conditionata prior decreto adhuc in hypothesi sit, non esse ipso posteriorem ab eoque dependentem, sed adæquate, & totaliter à voluntate pro statu conditionato; quod tandem male in sensu intendo, & Pelagiano inferre determinationem totam esse à voluntate nostra independentem à decreto adhuc in hypothesi; in alio vero sensu verum profus, & catholicum est: quod scilicet, & sui & decreti, & aliorum essentialium principiorum tota à voluntate sit: in eo quippe dependentia à decreto, & gratia Dei proportionate ad illum consensum boni statum posteriorum vere & catholice asseritur.

3. Arguit 4. speciali argumento quod ait, nos acriter mordere, iaculare telorum imbrem. Ceterum in eo illos solum speciale est, quod ex ignoratione nostre, & sue communis doctrinæ de similitudine concursus diuini cum nostris voluntatibus totum procedat. Miraculi vero instar est adeo edentulum discursum, non mordere quidem sed vel mordicare. Telorum imbrem esse facit, cum è mentis solum nebulis gignatur; sed si imbris tellis, quis aquea fore nesciat, & frigida, & ad quorum imbrem, ut dux alter aiebat, absque vilo alitu pugnemus? nisi ad nostre doctrinæ solares radios totus imber ille euascat? arguit ergo: Dei concursum poni pro conditione debere ad futuritionem conditionatam consensum, ad huiusque conditionatam negationem, negationem illius: horum vero alterutro pro conditione posito, neque consensum sub concursu diuini hypothesi, neque eius negatio consensum sub hypothesi negationis concursus diuini contingentes erant: sed omnino necessario sub Dei consensu consensum nostre, sub negatione vero illius negatio etiam consensum nostre erit: unde inferre dari à nobis scientiam inutilem. Addere posset, & negatoriam: quippe quæ pro consequenti habet ipsam antecedens. Verum cum Dei concursus cum nostre voluntatis concursu identitificetur, quomodo à sano Theologo poni ille pro conditione ad hunc possit, quin idem pro sui ipsius conditione reali chimære ponatur? imo inde euidenter inferitur sub eadem omnino conditione reali, sub qua nos concursus futurus est, & Dei concursum simul necessario fore: licet autem consensum nostre qualitas sit à Dei & nostro concursu diuersa, tota tamen eius in fieri libertas à concursu, & determinatione voluntatis erit: neque aliter ad eius libertatem Dei concursus esse, ac voluntatis concursus debet; cum neuter esse sine altero in signo aliquo reali absque mentis fictione queat: quod autem concursus alterutro seu, quod idem est, utroque pro reali, & vera conditione posito consensum conditionatus sit necessario futurus, & contra eius negatio sub negatione, concursus alterutrus, vel utriusque nostre (qui eiusmodi conditiones ad consensum, vel eius negationem minime apponimus) referre nulli obiectantis forte pluris interfuit, qui concursum Dei præuium ad nostrum conditione ad contingens conditionatum in physica prædeterminatione necessario, & inuitabiliter connexa cum consensu futuro ponunt: & ea quidem connexionis necessitate, qua actio, & concursus cum suo termino connectitur. Quocirca, quoad libertatem, facilius in conditionato consensu sub conditione concursus (quem plures communiter ad idem posterius figuram naturæ sui termini, ac nullatenus ad prius naturæ illius docent pertinere) saluaretur, nisi eo posito non posset non esse consensum, quia ea necessitas esset solum consensum, ut summum, comitans, noua antecedens, quæ sola eius libertati adueretur; præuij vero concursus diuini, seu prædeterminationis physice ad consensum, contingens, & necessitas, est omnino ipsam naturam antecedens; quare, ea pro conditione ad consensum conditionatum posita nescio, an, ægre adhuc, saluari possit huius conditionis libertas.

4. Ex eadem ignoratione, & illa, quæ breuius, & prædictum contra nos inferre ortum habent: inutilem scilicet, quæ, quæ, ne pueris quidem, desit conditionatam Deo scientiam à nobis concedi: & quidem, si, quam ipse putat, conditionem ad nostri concursus, & consensum con-

ditionatam futuritionem, scilicet diuinam concursum apponemus, eorum veritas, & scientia profus inepta haberi, & in eis, quas Hispani nostri *verdades de Pergullo* vocant, computari deberet. Tantumdem enim valeret atque, si vocem Petrum, & habeam concursum identitificatum, & simultaneum cum eius consensu erit eius consensum, & eequid bardius: cum autem nos nihil, siue diuinum, siue creatum in tota hypothesi ponamus ad consensum conditionatum quod idem, aut connexum sit cum eo, quinimo, quod non sit ad ipsum, eiusque appositum indifferens, ex nostra præcise hypothesi nullus quantumuis ingeniolus, ac subtilis homo, vel etiam Angelus sub ea futurum determinate consensum citra erroris periculum poterit cognoscere: imo neque Deus ipse, adhuc ex hypothesi super comprehensione; neque illum, nisi omniscientia suæ titulo in se penetraret, vllatenus, nedum ut ipsum decet, certo cognosceret sub illa hypothesi fore potius quam non fore. Hanc puerorum nempe, ut ais, & bardorum homuncionum Deo de contingentibus conditionatis scientiam tribuimus: videamus quam profunda, & subtilis à te, tuisque ipsi tribuatur: ita ut omnia prærequisita, & necessaria ad apponendum contingens in statu absoluto debere poni in hypothesi, seu pro conditione ad statum eius conditionatum, de eoque scientiam conditionatam concipiendam; in his autem necessario prærequisitis ad absolutam contingentis futuritionem decretum absolutum efficax de se, & physicam prædeterminationem: & utrumque essentia sua physice, & metaphysice connexum inter se agibiliter, cum absoluta contingentis futuritione. Hoc ergo scit Deus altissima sua, & perspicacissima, quam ei tribus conditionata scientia. Si vocauero Petrum, eiusque consensum præstitero, ac prædeterminaui eum ad illum, erit Petri consensum: æquis autem adeo erit stupidus puer, qui ex ea hypothesi consensum sub illa fore nesciat: respondet pag. 666, non poni ad conditionatam futuritionem consensum præfinitionem, & prædeterminationem ad illum conditionate futurum, ut conditionem, sed, ut medium infallibilis scientiæ diuinæ de illo. Contra primo: ergo male asserere prærequisita omnia ad absolutum contingens debere pro conditione apponi ad statum ipsius conditionatum, eiusque scientiam. Secundo: non aliter est medium infallibile conditionate futuritionis consensum, & scientiæ quam, quia connexa necessitatio causa est consensum absoluti absolute posita; quare, & posita in hypothesi est causa eius in statu conditionato: ergo implicat poni, ut medium infallibile in hypothesi, & conditione, & non ut conditionem ad statum illum consensum conditionatum. Tertio: facilius, liberiusque ex tua hac solutione dicemus: decretum absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti non esse causam futuritionis conditionatæ, siue formalem siue actiuam (quod solum in præsentiarum contendimus) sed medium infallibilis scientiæ de illa, quod etiam falsum esse à sequenti monstrabimus: quarto solutione hæc difficultatem non soluis, sed proelas: etsi enim præfinitio, & prædeterminatio in hypothesi non, ut conditio ad statum consensum sub illis futuri conditionatum, sed, ut medium infallibile certe Dei scientiæ de illo apponatur: æque certo à puero, & stupido quous ex illo medio, ut medio solummodo, in hypothesi posito fore conditionatum consensum sub illo cognoscitur.

5. Arguit idem d. & articulo eodem pag. 651. Primo: quia, si absque actuali Dei decreto est à nobis bonus consensum conditionatus, Deoque representatur, & offertur quidem Deo à nobis aliquid bonum, & sufficiens subinde motuum ad donationem gratiæ, & donorum: ergo futuritio conditionata contingentis nostri absque actuali Dei decreto Semipelagiana merita inducit. Distinguo singulas antecedentes partes: offertur aliquid Deo à nobis seu nostra voluntate sub in hypothesi posito nego: eum gratia etiam posita in ea hypothesi concedo: illam item partem, & sufficiens subinde motuum ad donationem gratiæ, distinguo motuum finale fateor: motuum meritum, diffiteor: & nego consequentiam: utrumque enim (quod sæpe, & hac distinctione negamus, & nostri omnes ad vtrum Doctores negant) error Semipelagianorum asserbat, ut multa, & perspicua eruditione ex instituto ostendimus certam. 7. toto. Nempe futura

bona in quouis statu, etiam conditionato, propriis viribus, atque independenter à Dei gratia, adhuc in hypothefi fupposita, haberi: item in eis bonis conditionatis meritum, seu vim, & motuum merituum reperi; finalem vero vim motuum, quam solum admittimus, in bonis operibus conditionate futuris reperi vera; & Catholica sententia est, & quæ extra controuersiam esse debet. Audiat S. Thom. 1. p. quæst. 23. a. 5. ad 1. dicens: *usum gratia præscitum esse rationem collationis gratia*, antequam collationem vltus gratia solum conditionate futurus potuit præsciri, vt ad illam Deum moueret. Audiat Paulus Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti*. Vbi iuxta Augustini Prosperi, & aliorum Patrum, & non Conciliorum, Africanæ, & Millicuitani interpretationem vtrumque distinctionis nostræ membrum de motione finali, ac non meritiua tradit: ita enim illi ex eo loco contra Pelagium, eiusque reliquias ex illo *vt essemus sancti*, quibus finalis motio exprimitur inferunt: *ergo non, quia futuri eramus sancti*, merituum motionem, quæ non, nisi absolute existentium operum est, ex finali, quod non existentium est, (atque ad Dei electionem, & prædestinationem debet conditionatorum esse) reuocantes. Instat saltem donum perseverantiæ, prout à Deo amitti à nobis posse, si conditionata contingit absque actuali Dei decreto statuatur; cuius oppositum contra Semipelagianos statuunt Augustinus, Prosper, & Hilarius dicentes *tale donum esse, quod humana libertas amittere non possit*. Hoc tamen effatum de potestate antecedenti, ne obiectans quidem audebit admittere. Siquidem posito etiam actuali hoc suo decreto tentationum victoria in dono perseverantiæ inclusa ab auxilio gratia est, quod abiciere, cuique resistere, voluntatem nostram antecedente potestate valere de fide est: solum ergo de potestate consequente impotentia libertatis nostræ ad donum perseverantiæ amittendum asserta ab eis Patribus fuit: quæ, etsi conditionata actuali Dei decreto non supponant, iuxta nostram doctrinam facile assignatur. Semipelagiani circa perseverantiam eodem modo ac circa salutis initium aberrabant, vt ex propriis viribus merito nostro daretur, vt constat ex Augustino c. 17. de dono perseverantiæ Prosperi, & Hilario in suis epist. & ex cert. 7. citato, quod nos in nullo operum nostrorum statu admittimus: quinimo, si eis daretur initium fidei ex arbitrij viribus esse, & ob hanc perseverantiam à Deo donari, satis arbitrij nostri libertati consuli putabant, vt ex dictis citato certam. 7. satis constat. Tantum abest, vt ad perseverantiam ipsam secundum se amittendam, potestatem proximam in nostra voluntate requirerent! vt falso supponit obiectio: quoniam vero, etsi consensus nostri possibilitas, & conditionata futurio materiam aptam diuinæ electionis, auxilij ad victoriam tentationis perseverantia inclusam reddat; tamen meritum ad electionem, & collationem illius auxilij præ alio non est: atque, vt hæc victoria finalis sit, uti ad perseverantiam oportet, morte, quæ amica Dei protidemia vnice disponitur, excipi debet, fit vt in Deum tandem, vt in donantem, & prædestinationem, & perseverantiam nostram refundatur: verumque proinde illud Augustinianum sit. *Non, nisi à Deo donari perseverantiam, qui nos prædestinavit in suum regnum. & gloriam*.

6. Iterum tamen Semipelagianismi nostram hanc doctrinam arguit. a. 5. pag. 651. ex his Prosperi epist. ad Augustin. [Illud etiam quæst. diluatur quæsumus, insipientiam nostram ferendo demonstrare: quod retractatis priorum de hac re opinionibus par omnium inuenitur, & vna sententia, qua propositum, & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt: vt ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit: quia finem vniuscuiusque prævidet, & sub ipso gratia adiutorio in qua futurus esset voluntate, & actione præscierit.] Sed in primis verba hæc, & sententia de præscientia boni finis, vnde cumque habita, siue ex decreto actuali, siue solum in hypothefi sunt; nisi abusive, & contra Augustini, Prosperi, & Hilarii phrasim propositi, & prædestinationis vocibus decreto conditionatum ex parte obiecti, ac non omnino absolutum conferendi auxilia efficacia intelligatur. Secundo Semipelagianorum sententia, non omnium sententia erat, vt ibi dicitur; & quidem Semipelagianæ hæresis confutanda insipientiam suam Prosperi, & Hilarius non

profiterentur, cui, nimirum, repellendæ sese superiores semper professunt. Omni um ergo par, & communis sententia ibi memorata Catholicorum omnium Patrum erat, Chrysostomi, Ambrosij, Hieronymi, & aliorum, qui propositum, & prædestinationem Dei esse secundum præscientiam boni finis sub gratia adiutorio, siue sub conditione gratia Dei, futuri aiebant. Ea vero omnium Patrum sententia Semipelagianis retractatis Pelagianorum erroribus, in quibus ab illis discordabant, pro suo errore dupliciter abutebantur. Præscientia boni finis nomine absolutam illius præscientiam intelligentes, & gratia adiutorium, sub quo bonum finem conditionatum Patres aiebant, omittentes; indeque manifestationem gratia omnia electorum merita præuenientis ab Augustino, & Patribus reliquis ex Apostolo prædicatam distorta ad suum errorem Patrum eorundem sententia, impugnabant. Prosper vero illa modestia suæ erga Præceptorem, Augustinum professione petiit: vt illam Patrum sententiam (qua Semipelagianis abutebantur) cum eorundem, & sua Catholica de necessitate gratia omnia opera bona præuenientis concordare, si iuxta Patrum, & mentem, & verba fideliter referatur, & intelligatur, & sua doctrina, & autoritate ostendat, & confirmet: quo citius hæreticorum calumnia dehisceret: eodem recidit eiusdem obiectio alia, qua intricari sæpe, nec se expedire, sed nonnunquam cepit Molinam ait: pag. 654. & 655. Nempe ex statuta à nobis independenter ab actuali decreto conditionata contingentis, & futuritione, & scientia sterni viam ad prædestinationem ex meritis conditionatis nature viribus. Hinc tamen toties ab isto Doctore huc, illucque versato, & repetito argumento satisfactum apertissime est nu. 7. distinctione de motione finali, ac non meritiua operis nostri in statu conditionato, & necessitate gratia in hypothefi, vt futurum conditionate sit, quam sæpe in Molina, & quouis ex nostris Doctores poterat obiectans didicisse, nec spītubundo, atque intricato ingenio fuisse.

7. Sed totas languidi, & perplexi discursus vires colligit dicens: & constitutione nostri consensus conditionati independenter ab actuali Dei decreto inferri à nobis tandem fumendam rationem seu causam prædestinationis, vt est specialis providentia, & electio vnius præ alio non prædestinato: contra S. Thom. qu. 6. de verit. a. 3. assertentem nefarie asserti, [Prædestinationem supra certitudinem providentia nihil addere, nisi certitudinem præscientia: quia Deus ordinat prædestinationem ad salutem, sicut quemlibet alium; sed de hoc prædestinato scit, quod non deficiat à salute: sic enim dicendo non diceretur differre prædestinatus à non prædestinato ex parte ordinis, sed tantum ex parte euentus.] Qui textum legat solum, extra rem adduci, quia totus est de certitudine maiore salutis à prædestinato, quam à non prædestinato consequendæ ex parte ordinis prædestinationis ad salutem, qui non prædestinato non adest ante euentum consequutionis salutis, qui prædestinationis effectus est. Nihil autem ibi de speciali affectu electionis erga prædestinatum præ non prædestinato, cuius causa meritiua sit conditionatis consensus, præscitum: neque enim de conditionatis consensus, & præscientia Dei, sed de absolutis est sermo S. Tho. cuius doctrina nostræ aperte concordat: scilicet maiorem esse certitudinem salutis consequendæ à prædestinato, formaliter per prædestinationem, eiusque ordinationem, vt euentum absolutæ salutis antecedit, quam ex non prædestinato, cui scilicet est sola providentia salutis media seu auxilia ad illam consequendam disponuntur, & donantur. Hæc si quidem providentia sola, & communis ex scientia solum simplicis intelligentia possibilitatis salutis sub auxilio, & medio ad illam auxilium donatur: cum autem sub illo medio, & auxilio negatio etiam salutis, & possibilis sit, vt à Deo per scientiam simplicis intelligentia eandem aequè cognoscatur: si vtrique, prædestinato, ac non prædestinato, ex ea scientia, & providentia communis auxilia, & media ad salutem ex æquo donantur, sique solum ordinaretur ad salutem prædestinatus, ex parte ordinis prædestinationis salutis non haberet: imo neuter vilius ex parte ordinationis diuinæ haberet salutis certitudinem: solumque illam prædestinatus præ non prædestinato haberet ex casuali providentia, erga se absoluto effectu, & euentu salutis futura, cuiusque

etiamque absoluta præscientia, quod dictum est nefas: quoniam vero non communi illa salutis providentia, & ex sola Scientia simplicis intelligentiæ possibilitatis salutis sub auxiliis illis, sed ex scientia conditionate salutis sub illis futuræ ipsa prædestinatis prædestinatione donatur, in ipsa prædestinatione, & ordine prædestinatio maior, infallibilisque certitudinem salutis prædestinati habet: quippe quæ purificato per prædestinationem auxilio, sub quo fore conditionate fuit præstita, consequenti necessitate, necessarii erit salus, & eius negatio impossibilitate consequenti impossibilis: sic, & doctrina S. Thom. & Prædestinationis definitio. *Præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur, plane concordant.* Neque id obest, quominus prædestinatio, ut spectat benevolentiam, & electionem diuinam prædestinati præ non prædestinato etiam dicat, à consensu conditionato, adhuc sub hypothetici gratiæ, tanquam à causa absolute non sit: quia, licet conditionatus consensus, cuius est coniuncta, auxilium gratiæ meraciam, & medium aptum prædestinatione appendendum constituat, alit consensu conditionatus non prædestinati sub alio auxilio, illud etiam medium aptum prædestinationis ad salutem constituit: quod tamen ei à Deo, nec disponitur nec donatur: quare tota hæc vnus præ alio prædestinatio electio in Dei voluntatem, qui (reputat diuitiarum gratiæ suæ absolute, atque vnicus Dominus) diuidit singulis prout vult, vnice refundendū est.

8. Consulto distuli hucusque Achille aduersarium argumentum ex illo 1. Corinth. 4. Ne supra, quam scriptum est, vnus aduersus alterum infertur pro alio: quis enim discernerit? quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Cuius textus, est literalis lenius sit, reprehensio eorum, qui vane, & contentiose gloriabatur, quod, vel Paulum, vel Apostolorum Magistrum habuissent; cum tamen neutrum electione sua, sed Dei dono habuissent: inde tamen Augustinus in simili discretionem prædestinati à reprobo, non à se sed à Deo esse, eisdem verbis, & sententia docet: quem & Patres alij, & Scholastici imitantur. Si autem conditionata futuritio nostri consensus ab actuali Dei decreto non sit, cum per illum materia prædestinationis constituitur auxilium ethicæ, atque ipse finaliter Deum moueat, ut prædestinet, atque ex prædestinatione auxilium apponat: non Deus solus prædestinatum à reprobo discerneret. Hoc tamen argumentum solutione data proxime euascescit. Siquidem in tota latitudine conditionatorum sub alijs auxilijs, ab eis, quæ ipsi dantur, reprobus etiam consensus, & erat, & vnus à Deo est: nec magis ab vno quam ab alio apostolus fuit, ut à Deo prædestinetur: unde de consensu in eo statu prædestinatus præ reprobo gloriari minime potest; maxime, cum neuter adhuc pro eo statu se solo consensus conditionate foret, sed sub conditione gratiæ auxiliantis Dei, sed potius prædestinatus Dei gratiæ, & speciali benevolentia tribuere debet, quod ipsum præ alio (quod æquè potest) prædestinet, auxiliisque efficacia disponat, quæ etiam alij disponere potuit, & non fecit. Tota solutio huius doctrina, & loci eius in rem præsentem interpretatio Augustini est lib. de prædest. Sanctior. cap. 3. initio, ubi cum Cypriano refert acceptam, sequit ab eo errore correctum, quod fidem à nobis nostrisque viribus, ac non Dei donum conferret. Neque enim, inquit, fidem putamus gratia Dei præueniri: ex eaque interpretatione, enim fidei initium gratia Dei necessario præueniendum contra Semipelagianos docet cap. 4. sine, eisdemque interpretatione insistentibus ait: *A quo habes, nisi ab illo, qui te discernerit ab alio, cui non donauit, quod donauit tibi?* cum tamen æque donare illi posset: id quod non solum de auxilio, sed etiam de consensu ipso, quod illius, ex præuisione eius conditionata, donatione, moraliter à Deo datur, quoque in actu secundo prædestinatus à reprobo discernitur sub eius capitis finem Augustinus intellexit his verbis: ipsa fides discernit ab infideli fidelem: non quia credit, vel non credere, non est in arbitrio voluntatis humane, sed in electis præparatur voluntas à Domino: ideo ad ipsam quoque fidem, quæ in voluntate est, pertinet: illud, quid habes,] &c. Quibus consonat libro de gratia Christi cap. 14. & de spiritu & lit. cap. 34. asserens: Deum

operari in nobis Sanctam inspirationem, & velle credere: *conferre autem vocationi, vel dissentire propriæ voluntatis est:* & subdit: *quæ res non infirmat, quod dictum est: quid habes quod non accepisti, verum etiam confirmat,* quia nimirum, & ipse in fidem consensus à Deo etiam datur, in radice opportuna vocationis, quæ præparatur voluntas à Domino, & tract. 4. in Ioan. [eo, quod adiungis voluntatem tuam Deo, calcificas te ipsum, calcificas te, non de te, sed de illo, qui venit, ut habiter in te; tamen, quia agis ibi aliquid voluntate, ideo & aliquid tibi tributum est: ita ut dicas adiutor meus esto.] Breuius tamen, & dilucidius suam hanc, & ex ipso nostram, doctrinam dedit quæst. 68. ex lib. Ologinta trium in hæc scribens: [Propterea, & si quisquam sibi tribuit quod vocatus venit, non potest sibi tribuere, quod vocatus sit.]

9. Instat vero Viues Dominicus Augustinum fere immediate dixisse, *Neque illi, qui* (ad eam nuptialem paratam) [venerunt, venire possent, nisi vocarentur: itaque nec illi debent sibi tribuere qui venerunt, quia vocati venerunt,] quod cum illis contradicat: *si quisquam sibi tribuit quod vocatus venit:* quare hæc dantur vanitati cuiusquam, non asseruntur ab Augustino, sibi, si ea assereret, à Deo immediate contradicere. Sed certe Augustinus utraque sententia est: nec altera alteri repugnans, ut bis enim oppositis dicit Augustinus non posse illos sibi tribuere aduentum suum, non autem quod vocati venerint quod tribui sibi posse dixerat: quare illud, *quia vocati venerunt,* non est pars asserti ab Augustino; sed ratio cur sibi tribuere absolute quod venerint nequeant, cum & facultas veniendi physice à vocante, & vocatione facta illis fuerit, & in ea aduentus ipse illis à vocante datur: ut verbis primis oppositis immediate dixerat. *Neque illi qui venerunt, venire possent nisi vocarentur.* Quod autem vocatus venerit tribuere sibi quique potest, quia in eo primas suas, & præcipuas misericorditer vocati & vocationi partes deferit: cum, non nisi vocatus, venisse faceret; quamuis arbitrio suo vocatione adiuto, & libere venienti illud aliquid, quod agit, seu gratiæ coagit; quod nuper Augustinus aiebat, & in quo eius meritum est, tribuat: quod si conclusionem oppositorum à se verborum Viues, vel legisset, vel consulo non omisisset, atque testimonio à nobis adducto immediate (ut in textu Augustini est) eam adnecteret, tanti Doctoris mentem, & sententiam pro nobis esse forte cognosceret, ita enim concludit Augustinus. *Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur:* quia in ea meriti facultas, & potestas ponitur, & moraliter ipsum meritum, ut nuper diximus, & superius explicauimus. Pergit continuo: *Propterea, est quisquam,* & reliqua quæ pro nobis regulimus, & quibus aptius nos ipsi doctrinam nostram explicare non possemus. Sed obtruncata testimonia sine mente adduci necesse est: Instat secundo idem Viues. Ne bardum quidem, ne dum Apostolum. Paulum, dubitare posse discretionem prædestinati à reprobo per vocationem, non posse esse ab ipso prædestinato, sed à Deo, vel eo, quod nemo seipsum vocet, & compelleret. Sed alium ergo eo loci non agit de discretionem prædestinati à reprobo per vocationem, nec de illius acceptione à Deo est illud, *quid habes quod non accepisti?* Sed de discretionem per consensum vocationi exhibitum, cuiusque acceptione à Deo. Poruisset videre obiectans in nostris Doctoribus, & textu ipso Pauli quod initio cap. 10. obseruauimus Paulum de discretionem prædestinati à reprobo ibi non egisse, sed de materia alia, ex qua ad similem discretionem prædestinati à reprobo Cyprianus, Augustinus, & Patres post ipsos alij Pauli verba accommodarunt, Pelagianos, & Semipelagos, confutantes: quibus cum, non ea eras stolidi disputatio: an quisque se, vel ad omnia bona opera, vel saltem ad fidei, & salutis initium vocaret? Neque enim isti adeo hebetes heretici erant; sed an ita à Deo vocarentur, ut indebita cuiusque naturæ, & arbitrio ea vocatio, & cogitatio Sancta esset? ac proinde gratia, & misericordia Dei auxiliante, siue ad recte viuendum, siue inchoandum opus esse. Non ergo adeo stupida, ut putabas disputatio, & sententia Patrum esset, etsi de discretionem gratuita, & misericordie prædestinati à reprobo per vocationem à Deo factam, tota sententia illorum fuisset, neque insulse ab eis diceretur, *quid habes quod non accepisti?*

*cepisti*? Sed quoniam ex illo errore de iure naturali arbitrii, eiusque propriis viribus totum opus eis tribuendum erronee etiam erat: quare, & sese in actu etiam secundo suis viribus, vel omnino, vel inchoatim discernere beatos à damnandis allebant; Patres ex opposito principio de necessitate misericordis vocationis, & gratie auxiliantis Dei per eiusmodi vocationis, & auxilij diuini beneuolam donationem (in qua, ut ipsi aiunt, non solum potestas consensus, sed ipse consensus in radice oportuna vocationis, & moraliter, seu in morali æstimatione à Deo donatur prædestinato præ reprobo: quia ex scientia boni eius vsus conditionati donatur) discernit etiam à Deo in actu secundo prædestinatum à reprobo consequenter alleuerunt: ita vero, ut suas etiam arbitrij potestati, & libertati partes in consensum relinquerent, ut vidimus, & questionibus sequentibus auctim ex scriptura, Patribus, Conciliis, Philosophis, & omnium ætatum, nationum, Academicarum, professionum fere omnibus Theologis communi ostendimus.

10. Illud tamen hic non omitram. Mirum esse hoc Pauli (adhuc iuxta Augustini, & Patrum accommodatum sensum, & interpretationem) Dominicanos hocce uti contra consensum liberum independentem à suo actuali decreto futuri conditionate. Tum: quia prædestinatio qua prædestinatus à non prædestinato discernitur, in eo decreto obiectiue conditionato, non stat; sed omnino, etiam ex parte obiecti absolute voluntate, ut concors Patrum, & Scholasticorum sententia fert: atque, cum non existentium, sed pure possibilem hominum sint, cognoscanturque à Deo consensus plures, & salus futura sub conditione quod existerent, & tali auxilio vocarentur, vel tali: atque hæc absque actuali, & absolute ex parte actus decreto sub ea conditione esse, per hocce, nequeant, de pure possibili assertenda esse prædestinatio. Tum etiam: quia, cum existentes omnes, etiam reprobi, ac non prædestinati, sub aliquorum auxiliorum conditione bonum consensum, & salutem conditionate alleuerunt, in decreto salutis, & consensus sui conditionate futuri æquales non prædestinati prædestinatis erunt: quare hi misericordie Dei electione, nullatenus à non prædestinatis per illud decretum à Deo discreti essent (ut ex interrogatione, *quis enim te discernit*? Patres supponunt) etiam Dominicanorum istorum sententia. Tum insuper: quia illud, *quid autem habes, quod non acceperis*? de existentibus solum, de quibus solum accepisse verificari potest, dictum est: cum possibilem etiam ad suos conditionatos consensus, & salutem æquæ, atque de existentibus, iuxta aduersariorum doctrinam, illud decretum contingat. Tum denique, quia illud, *quid gloriaris, quasi non acceperis*? acceptionem absolutam vocationis, & in ea, ut diximus, consensus acceptionem dicit: de quo solum prædestinati præ non prædestinato posset esse prælatiua adrogans gloriatio; non de consensu conditionato, in quo, ut dixi, & ipse, & non prædestinatus sunt æquales: quare nemo Patrum eo loco (adhuc accommodatiua sua interpretatione) nisi ad discrecionem prædestinati à reprobo absolutam, per absolutam eius prædestinationem vsus vnquam fuit. Itaque omnes, & singula eius loci particulae sui vsus ad decreta ista absoluta ex parte actus de futuris nostris conditionatis adstruenda arcent, & prohibent; quin satis id fuerit, ut tot annis, & disputationibus Thomistæ recentiores eius ad ea adstruenda abusi abstineant: idcirco prolixius, quam ad nostram doctrinam tuendam, opus esset, eum locum expendimus: si forte adeo apertis eius loci, & verborum singulorum eius, interpretationibus, & ponderationibus assequi possimus, ne deinceps adeo extra rem continuis disputationibus testimonio isto pro decretis absolutis subiectiue, atque obiectiue conditionatis, ut solent, inlamenti, *quis enim te discernit*? ac doctorum aures obtundant.

11. Denique opponit Ioann. à S. Thom. vel posita futuritione conditionata consensus, eiusque Scientia independentem à decreto potest Deus velle, quod non sit consensus, vel non potest: Si potest ea futuritio conditionata deitui poterit, & Scientia falsificari: quare quousque Deus velit, quod ea conditionata futuritio sit, fixa, statutaque illa, eiusque Scientia non erant: si non potest, conditionata illa futuritione è nostri arbitrij libertate potentia, dominium, & libertas Dei in nostros actus abutuntur tollitur. Respondetur: non posse Deum velle actu,

quod supposita illa futuritio non sit. Negatur tamen deitui è nostra libertate dominium potestatem, & libertatem Dei in nostros actus: etenim ad vsus libertatis nostræ in consensu supponitur exercita libertas, dominium, & potestas Dei in nostrum consensum proportionate ad consensus nostri statum: absolute nimirum exercita ad consensum absolutum, & in hypothesi ad consensum conditionatum. Supponitur autem exercitum libertatis diuinæ ad rem præteritam in hypothesi cum vocatione, si vocauero, & decreuero concurrere indifferenter, ad alterutrum cum voluntate Petri (vel quatenus ad præsens attinet decreto alio quo malueris libertatem voluntatis nostræ constitutam) erit consensus. Cum hoc autem decreto in hypothesi posito pugnat aliud, *nolo, ut sit seu volo, ut non sit consensus conditionatus à voluntate, si vocetur*: illud enim in hypothesi cum vocatione positum voluntati permittit vsus, & sui, & vocationis ad consensum, & eius oppositum; hoc autem ad vnum extremum sub hypothesi vocationis determinat, ac proinde cum de obiecto contradictorio sunt, sibi etiam necessario contradicunt: atque ex suppositione primi, ut in hypothesi supponitur, aliud haberi à Deo nequit. Non quidem ex impedimento potentie, & libertatis diuinæ à nostræ voluntatis conditionato vsu, & consensu appposito; sed ab exercitio ipsius libertatis diuinæ in hypothesi supposito, & pugnante cum decreto absoluto ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti: esset enim potestas ad coniungendum duplex voluntatis, & libertatis lux exercitum contradictorium: quæ non diuina, imò, nec vera, & realis, sed chimerica potestas est, & impossibilis, atque, atque utriusque exercitij contradictorij coniunctio. Non fecus, atque in nobis chimerica potestas arbitrij nostri est ad ponendum amorem ex suppositione, quod illum omiserimus: sed insisteret interrogat Ioan. à S. Thom. Deus complacere, vel displiceat in futuritione conditionata posita independentem à suo actuali decreto: anve alterutro effectu ferri in illam queat? Ne suo tamen quid causæ suæ referat, etsi affirmatiue respondeamus: quandoquidem, neque complacentia neque displicentia obiecta sua in statu illo ponat; sed aliunde posita supponat, ut sæpe monuimus.



## QVÆSTIO II.

*An futura absolute sui in Dei æternitate presentia egeant, ut à Deo cognoscantur?*



VONTIAM alia hic videbatur quæstio agitando reddenda omissionis ratio, & quæstionis locus monstrandus.

## CERTAMEN I.

*Quæstionis ratio, & difficultatis scopus.*

1. Explosa necessitate decretorum absolutorum subiectiue, ut obiectiue conditionatorum ad conditionatæ futuritionis contingentium, diuinæque subinde de illa scientiæ consistentiam: quare, & eis decretis à medio materiali scientiæ huius ablegatis de omnino absolutis prædeterminatiuis decretis, siue Thomisticis prævisionibus agendum statim recta methodus disputationis huius exigebat. Cum enim eas prævisiones Thomistæ ad absolutam contingentium futuritionem necessarias potest, atque essentialiter prærequiritas esse defendant, ab eis que quibus futura contingentia absolute fore repugnant, ut media materialia scientiæ de illis diuinæ illas esse faciantur.